

bonum abstractum a bono propter se, et propter aliud, scilicet speculative, practice autem, et secundum exercitium rationemque movendi, non potest abstrahere ab utraque illa ratione. Itaque quidditative potest abstrahere bonum a bono propter se, et propter aliud, non motive, seu speculative, non practice. Et hoc ideo, quia bonum non movet practice, nisi in quantum exercet rationem convenientiæ ad appetentem, non potest autem exerceri iste ordo ad appetentem, et convenientiam, nisi sit convenientis vel ratione sui, vel ratione alterius, et consequenter vel propter se, vel propter aliud. Sicut etiam quæcumque res, seu quidditas in communi considerata abstrahit ab exercitio causæ efficientis, vel finalis, in individuo autem non potest sine aliqua tali causalitate exerceri. Et actus humanus secundum se abstrahit a circumstantiis, et ita secundum se, et ex specie sui objecti potest esse indifferens; in individuo autem non potest abstrahere a circumstantiis, et sic debet determinate esse bonus, vel malus. Ita bonum secundum se, et in abstracto non dicit, quod sit bonum ratione sui, vel alterius, sed tantum quod sit perfectum, et appetibile; in exercitio autem non potest movere, et practice proponi ab intellectu, nisi ut movens ratione sui, vel alterius, quia movet ut in individuo, et cum circumstantiis, cum dependentia, et respectu ad alterum, vel sine illo.

X. Ad primam confirmationem, dicimus ex notabili supra posito, quod actus simplicis volitionis non est circa finem comparative consideratum ad media, est tamen circa finem absolute, et secundum se. Exempla autem allata nihil convincunt. Nam martyres diligebant vitam suam amore naturali, sicut alii homines, et affectu, seu volitione

simplici tamquam finem quemdam particularem, et intermedium, non tamquam finem ultimum; erat autem ille amor inefficax, et conditionatus quantum ad conservationem vitæ: sicut qui metu mortis, seu periculi projicit merces in mare, quas tamen simplici, et inefficaci affectu amat ratione sui, et tamquam bonum quoddam particulare, aut tamquam utile ad alios fines, propter quos illas acquisierat, et tamen ob majus bonum efficaciter vult illas projicere: ita martyr vult vitam suam ut finem particularem, et bonum, et conservationem ejus vult inefficaci, et simplici affectu; propter tamen majus bonum, scilicet propter gloriam Dei exponit illam, et perdit. Unde non recedit ab amore finis, quando vult vitam suam, sed ab amore finis particularis, et intermedii, quem diligit amore inefficaci, et simplici. Secundum autem exemplum de Deo minus probat: Deus enim antequam creaturas amet, se ipsum amat ut finem, et summum bonum fruendo se, et se ipsum amando ratione sui actu amoris, et complacentiæ simplicis, et virtualiter, atque eminenter efficacis, et intentivi, quia est radix totius efficacitæ, et intentionis cum sit ratio diligendi creaturas, licet pro illo signo nondum intelligatur velle se ipsum sub actu intentionis, et per modum finalizantis comparative ad creaturas, quia nondum intelligitur velle illas. Unde non sequitur, quod pro illo priori non velit finem, sed solum quod non velit tali modo, scilicet ut intentum comparative ad media, quæ sunt creaturæ, et ut finalizantem illas. Similiter qui amat scientiam, aut vitam ratione sui, et sine ordine ad media, amat illam ut finem particularem absolute, et simplici affectu, non comparative, et intentivè in ordine ad media.

XI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod intellectus omnia cognoscit per modum principiorum vel conclusionum, si sint veritates complexæ, et per modum propositionis, et iudicii. Si autem non sint veritates complexæ, sed termini simplices, cognoscuntur intuitive, vel abstractivè, et ita si cognoscantur per experientiam, et intuitionem attinguntur ad modum principiorum, id est, evidenter, et sine discursu, non tamen sunt proprie principia, si non sint veritates complexæ; et si sint res singulares, quæ intuitive videntur, possunt componere propositionem singularem, quæ servire potest pro principio ad inferendum aliquid singulare, sicut ex propositionibus singularibus fit syllogismus expository: licet non forment propositiones, aut principia communia, et universalia. Cum autem dicitur, quod in eodem objecto possunt reperiri bonum propter se, et bonum propter aliud, et sic non opponuntur, respondetur quod respectu diversorum, et sub diversa formalitate possunt inveniri, non tamen sine aliquo illorum potest aliquod subjectum dari; sicut accidens absolutum et relativum possunt in eodem subjecto dari, et substantia et accidens etiam uniuntur, et reperiuntur simul, non tamen potest aliquod ens dari, quod in re non sit determinate absolutum vel relativum, accidens vel substantia, quia sunt differentiæ adæquate exhaustivæ ens.

BONUM IN MEDIIS EST SECUNDARIUM
OBJECTUM VOLUNTATIS.

XII. Circa primum sensum difficultatis supra in initio articuli positum, scilicet, an finis non solum sit primum objectum voluntatis, sed etiam adæquatum, notandum

est duo esse certa in hac parte, et in uno esse punctum difficultatis. Prima, est certum quod in mediis potest concurrere duplex ratio appetibilitatis, una ut præcise utilis, et conducens ad finem; alia quæ etiam secundum se appeti potest, et utraque materialiter concurrat in eodem subjecto, verbi gratia quando medicamentum non solum conducit ad sanitatem, sed in se etiam delectabile est, ut cibus delicatus, vel potus suavis. Aliquando vero tantum conducit ad sanitatem, et in se appetibile non est, ut abscissio membri, vel potio amara. Non dubitamus de illa bonitate, quæ per se appetibilis est, talis enim formaliter loquendo non est bonitas medii, ut medium, quia etiamsi medium non esset per se, talis res appeti posset. Et sic pertinet ad rationem finis intermedii quatenus per se appetibilis est, et non solum ut conducens ad aliud. De illa autem bonitate, quæ præcise appetitur ut conducens, et quæ est propriissima medii ut medium, currit præsens difficultas, an solum sit bonum ex fine, seu ex ordine ad finem; an etiam in se bonum sit.

XIII. Secundo certum est, quod finis ad minus habet rationem objecti primarii, et principalis in voluntate. Constat hoc, quia finis est primum, et principaliter quod appetitur, et cujus gratia cætera appetuntur. Ergo habet bonitatem primariam, et principalem, atque adeo magis formalem in appetendo, cum sit ratio, et motivum appetendi cætera, quæ sunt ad finem, quia finis movet ad appetendum alia, et ratione ejus appetuntur, quæ sunt ad finem.

XIV. Punctus ergo difficultatis est, an bonitas finis ita sit motivum primum, quod etiam sit adæquatum, ita quod in istis mediis non inveniatur aliqua bonitas intrinseca.

et formalis distincta a bonitate finis, sed ipsa bonitas finis sit ratio appetendi, respectu quidem ipsius finis intrinsece, et formaliter; respectu vero mediorum extrinsece, et participative, seu per quamdam denominationem, vel extensionem: sicut sanum dicitur intrinsece de animali, et extrinsece de medicina.

Tres sunt sententiæ præcipuæ. Prima, quod in mediis solum est bonitas per accidens, et extrinsece, ita quod media solum sint per accidens appetibilia, sicut substantia dicitur visibilis per accidens. Et sic comparantur media, et finis in hac sententiâ sicut paries, et color: sicut enim paries est visibilis in quantum portat, et sustentat colorem, sic medium est appetibile in quantum portat finem, et conducit ad illum: et solum est differentia, quod color realiter inhæret parieti; finis autem non inhæret medio, sed extrinsece se habet ad illum. Ita Medina super quæstionem I, articulo I, et aliqui ex Thomistis, videtur habere aliquod fundamentum in D. Thoma, ut postea examinabimus.

XV. Secunda sententiâ est Suarez disp. X metaph. sect. II, n. XXII, et disp. XXIII sect. VI, ubi docet, quod media non se habent ut objectum per accidens voluntatis, sed ut objectum per se, materiale tamen, et terminativum; formale autem objectum, et motivum est solus finis, atque ita se habent finis, et media sicut objectum primum, et secundarium, ut formale, et materiale, ut testimonium quod est ratio credendi, et res ipsæ materialiter creditæ.

XVI. Tertia sententiâ est, quod medium habet quidem rationem formalem a fine, sed tamen intrinsece, et per se habet etiam bonitatem inferiori quidem fine, sed propriam mediorum. Et sic comparantur finis, et media in voluntate, sicut lux

et color in visu, ita quod medium habet in se formaliter bonitatem, et intrinsece, non a fine ut a forma intrinseca, sed solum ut a termino extrinseco, quia cum bonitas ejus sit respectiva, et in ordine ad finem (est enim bonum relate) finis solum se habet ut terminus ejus, non ut forma dans bonitatem. Ita Vazquez supra disp. I, c. II, et Montesinos hic disp. XII, q. II, et dicit sic sentire reliquos expositores super hunc locum.

XVII. Nihilominus dicendum est primo: Bonum analogice convenit fini, et mediis, non tamen convenit mediis solum extrinsece, sed etiam intrinsece, licet relate, et dependenter a fine, et ita magis est analogia proportionalitatis inter finem et media, quam attributionis. Prima pars est expressa D. Thomæ I p. q. V, a. VI ad tertium, ubi inquit: « Quod bonum dividitur in honestum, utile, et delectabile, non sicut univocum æqualiter de his prædicatum, sed sicut analogum, quod prædicatur secundum prius et posterius, per prius enim prædicatur de honesto, et secundario de delectabili, et tertio de utili. » Constat autem quod utile est idem quod medium, ut ipse D. Thomas dixerat ibidem in corpore articuli; ergo medium analogice est bonum cum fine. Ratio D. Thomæ est, quia bonum est idem quod appetibile: appetibile autem id in quod tendit motus appetitus, tamquam terminus ubi quiescit, et satiatur, ideoque tale appetibile maxime allicit, et movet appetitum, quia satiatur, et quiescere facit appetitum. Ergo quod non facit quiescere, neque satiatur appetitum, nisi secundum quid, et relate ad aliud, non per se, non est per se appetibile sed secundum quid comparative ad id quod faciat, et quiescere facit per se. Sed medium non facit simpliciter quiescere, neque

est bonum, nisi secundum quid. Minor patet, quia medium solum se habet ut via, et instrumentum ad tendendum in finem, nec appetitur in quantum medium nisi ut conducens, et tendens ad finem, ergo in illo non quiescit, nec satiatur appetitus, quia si solum transit per illud ad terminum et finem, non quiescit in illo, quia sistit; ubi autem quiescit ibi sistitur. In medio autem non sistitur, quia est via: sicut in abscissione membri, aut venæ, aut in potionem amara nullus quiescit, nec satiatur, sed transit per illam ad terminum, ubi quiescit.

XVIII. Secunda vero pars probatur, quia in mediis invenitur intrinsece ordo ad finem, et capacitas, seu coaptatio ad illum; sed hoc sufficit ut sit bonum intrinsece, licet analogice, sicut accidens intrinsece est ens, licet analogice cum substantia; ergo non est bonum per solam denominationem extrinsecam, sed per intrinsecum ordinem, et proportionem ad finem. Major probatur, quia in mediis ratione propriæ naturæ invenitur proportio ad finem, sicut medicinæ habent vim naturalem, et proportionem ad temperandum humores, restituendam sanitatem; ergo iste ordo intrinsecus est in mediis ad finem, si quidem fundatur in ipsa vi naturali, natura autem intrinseca est rei; ergo media ex sua intrinseca natura fundant proportionem ad finem, utique et relationem, seu respectum fundant, et sic ille ordo ad talem finem est sibi intrinsecus, et formalis. Minor vero probatur, quia illa intrinseca proportio, et coaptatio in finem est sufficiens movere appetitum ad sui electionem pro fine consequendo, si quidem dantur actus in voluntate, qui formaliter versantur circa media, sicut electio, consensus, usus, etc. Et quanto major proportio, et efficacia est in mediis ad consequen-

dum finem, tanto magis appetuntur et eliguntur; ergo illa proportio intrinseca, et naturalis mediorum habet in se id quod requiritur ad tale bonum. Nam bonum dicitur formaliter id, quod formaliter movet appetitum; ergo si medium ratione suæ intrinsecæ proportionis, et ordinis ad finem movet formaliter appetitum, et terminat ejus actum, qui est electio, formaliter et intrinsece est bonum, licet dependenter per ordinem ad finem, ut ad terminum habeat talem bonitatem, non ut ad formam extrinsece denominantem.

XIX. Et confirmatur, quia materia prima ratione ordinis ad formam, et capacitatis ejus dicitur bona, ut ex D. Thoma I p. q. V diximus, ibidem disp. VI, art. II, ergo similiter media habebunt bonitatem proportionis, et ordinis ad finem, quæ tamen proportio, et habitudo intrinsece eis conveniet. Itaque habent bonitatem intrinsecam in ordine ad terminum extrinsecum, quia in se habent proportionem intrinsece ad finem extrinsecum, non tamen habent illam denominative a fine, quasi in ordine ad finem, ut ad formam extrinsecam, a qua extrinsece denominantur, sicut visum in pariete est denominatio extrinseca a forma visionis, quæ est in oculo. Media autem habent specificationem a fine, sicut potentiæ, et actus ab objectis per respectum, seu ordinem intrinsecum ad terminum extrinsecum. Quæ relatio transcendentalis est, et secundum dici.

XX. Dico secundo: Objectum adæquatum voluntatis est bonum abstractans a bono finis, et medii: ita tamen quod tota ratio ultima et completa ejus est bonitas finis, media autem secundum se non habent nisi bonitatem relatam, et dependentem a fine, licet intrinsecam sibi, et sic est objectum materiale volun-

tatis, quod sub formali ratione bonitatis finis attingitur a voluntate. Tota hæc conclusio est manifesta mens D. Thomæ in hac quæstione VIII, art. II, ut patebit ponderando ejus verba. Nam in primis loquens de objecto adæquato voluntatis, ut potentia volitiva est, dicit: « Quod voluntas se extendit ad finem, et ad ea quæ sunt ad finem; quia ad ea extendit unaquæque potentia, in quibus inveniri potest ratio sui objecti: sicut visus se extendit ad omnia, quæ participant quocumque modo colorem: ratio autem boni, quod est objectum voluntatis, invenitur non solum in fine, sed in his quæ sunt ad finem. » Deinde in calce corporis articuli dicit: « Quod sicut intellectus respicit conclusiones, ut in eis relucet principia, ita voluntas fertur in media prout in eis relucet ordo ad finem; sic enim se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus. » Constat autem quod conclusiones licet sint cognoscibiles per principia, tamquam per rationem formalem, tamen in se intrinsece habent suam veritatem, et sunt objectum intellectus, et non per extrinsecam denominationem, licet comparatione principiorum se habeant, ut materiale ad formale, ut secundarium ad primum. Et tandem solutione ad secundum docet: « Quod utile, et honestum non ex æquo se habent, sed sicut quod est secundum se, et secundum alterum: hujusmodi autem semper referuntur ad eandem potentiam, sicut per potentiam visivam sentitur color, et lux, per quam color videtur. » Quare D. Thomas affirmans rationem boni inveniri in mediis, et in fine, et deinde ponens quod se habent illa media ut conclusiones respectu principiorum, ut color respectu lucis, quantum ad hoc quod est materialiter se habere respectu rationis for-

malis, plane sentit, bonitatem non convenire mediis per extrinsecam denominationem.

XXI. Fundamentum autem sumitur ex verbis D. Thomæ, quia adæquatum objectum alicujus potentiæ componitur non solum ex objecto formali, sed etiam ex materiali; non solum ex primario, sed etiam ex secundo, et extensivo, licet servet ordinem, ut primo, et principaliter unum, aliud vero dependenter ab ipso: sicut fides habet pro objecto adæquato, non solum Deum ut testificantem, sed etiam colorem, et quæcumque colorem participant. Et denique intellectus non solum respicit veritates per se notas, quæ sunt principia, sed etiam quæcumque ex his deducuntur, ut conclusiones. Ergo similiter voluntas respicit pro objecto adæquato bonitatem finis, et mediorum, quatenus media participant in se bonitatem finis, ut rationem formalem a qua dependent in ratione appetibilis. Hanc autem appetibilitatem, quam habent media non esse solam denominationem extrinsecam, sed veram, et intrinsecam bonitatem, et proportionem existentem in mediis constat, quia tanto magis appetuntur, et eliguntur, quanto magis in se sunt proportionata fini, et conducunt ad illum, licet dependenter, et subordinate ad finem; sicut eligitur efficacior, et promptior medicina pro sanitate, quia ejus bonitas est ordinata, vel subordinata fini tamquam ultimæ rationi formali, propter quam appetitur; ergo bonitas mediorum, ut comparatur ad finem, est vera et intrinseca bonitas, materialiter tamen et dependenter se habens a bonitate finis, ut a ratione ultima, seu finali, quæ subordinat sibi talem proportionem mediorum, quæ est eorum bonitas.

XXII. Unde etiam colligitur quomodo ex bonitate medii, et finis,

quæ analogice dicuntur, et per dependentiam unius ab alio, resultet nihilominus unum objectum voluntatis, quod in ratione objecti, et appetibilis univocum sit, quia etiam ipsa potentia in sua specificatione, non solum univoca, sed una est: sicut intellectus specificatur ab ente, quod in se analogum est, quia in ratione objecti intelligibilis unum est. Ratio hujus ex eo sumitur, quia objectum in quantum objectum, seu in munere, et officio terminandi, vel specificandi sumit suam unitatem ex ultima ratione formali sub qua, quæ habet unicum modum movendi potentiam: sicut licet omnes colores inter se specie differant, tamen quia movent visum per lucem, quæ unico, et eodem modo movet potentiam visivam, omnes sub illa ratione formali induunt unam rationem objecti: similiter omnes veritates, licet sint specie et genere, imo analogice diversæ, quia tamen movent intellectum sub ratione unius immaterialitatis, et rationis formalis intelligibilis, quæ primo invenitur in principiis, et inde derivatur ad conclusiones, ideo unicam, et univocam rationem objecti constituunt in ratione movendi, et specificandi, et terminandi potentiam, ejusque operationes. Similiter licet bonitates omnes, tam mediorum, quam finis analogice se habeant entitative, et in se, tamen in ratione movendi voluntatem univocè conveniunt, quatenus uniuntur ad movendum per modum inclinationis, et ponderis sub tali ratione formali bonitatis, quæ formaliter invenitur in fine, et participative in mediis.

XXIII. Objicies ex D. Thoma supra quæstionem I, a. 1 ad secundum, ubi docet: « Finem esse objectum voluntatis, sicut color est objectum visus; » ergo si finis ipse se habet ad voluntatem eo modo quo color

ad visum, media minus de ratione objecti habebunt, quam colores respectu visus: ergo solum se habebunt, per modum objecti per accidens. Patet consequentia, quia non sunt bona ratione sui, sed alterius, scilicet ratione finis; sicut substantia ratione coloris dicitur visibilis. Et rursus, finis in ordine ad quem media dicuntur bona, habet se extrinsece ad illa, quia non format ipsa, sicut lux colores; ergo media solum habent extrinsece bonitatem. Item in eodem articulo probat D. Thomas omnes actiones humanas esse propter finem, quia finis est objectum voluntatis, et omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia causantur ab ea secundum rationem sui objecti. Quæ consequentia manifeste procedit de objecto adæquato, alias non probaret omnes actiones esse propter finem, ex eo quod finis est objectum, si adæquatum non est; ergo solus finis est objectum adæquatum voluntatis. « Item in hac quæstione VIII, a. II, dicit: « Quod media non sunt volita propter se ipsa sed ex ordine ad finem, unde voluntas non fertur in ea nisi quatenus fertur in finem, quia hoc ipsum, quod in eis vult, est finis; » ergo sentit finem esse objectum adæquatum voluntatis, quia cum appetuntur media, non appetitur in eis nisi finis. Denique I p. q. V, a. IV, dicit: « Quod bonum est idem quod finis. » Bonum autem est objectum adæquatum voluntatis; ergo et finis. De mediis autem dicit ibidem articulo VI ad secundum: « Quod utilia non habent in se unde desiderantur, sed solum desiderantur, ut conducunt ad aliud; » ergo in se non habent bonitatem, si enim haberent, desiderantur in se.

XXIV. Confirmatur, quia ideo substantia solum est visibilis per accidens, quia in se non habet unde videatur, sed ratione coloris su-